

FLANDRIA IMP. ET PROPRIETARIA.

Commendatur à Teneræ appulsu, ab Abbacia D. Cornelii, ordinis Præmonstratensis, anno 1137 fundata per Gerardum Connestablium, virum nobilissimum: à nundinis itidem mense Septembri annuis, & arce, Ludovici Malensis tempestate à Gandensibus diruta. Fuit olim Henrici à Flandria castrense peculium. Iam pertinet ad familiam Egmondanam, cum territorio tenuis spatii, in quo Tempelmarfa est. Celebris est scriptore Ioanne Despauterio, Flandriæ Prisciano, Grammaticorum coryphæo.

Quatuor
Ambacti.

Præter Comitatum Alostanum, adjunguntur Imperiali Flandriæ quatuor illi pagi, sive potius unus pagus in quatuor regiones divisus, quos vulgo *de vier Ambachten* vocant: regiuncula *Wafia*, & pagi quidam agrique ultra Scaldim, Teutonice *t'landt van Overfchelde*. Sunt autem quatuor ipsi Ambacti, *Hulsti, Axela, Assenedæ, Bouchautæ* nominibus insignia. Hulsto conveniunt 12, Axelæ 7, totidem Assenedæ, Bouchautæ quatuor. Ambacti vox oritur ex vocibus *Ampt*, contracte *Am*, quod munus publicum significat, & *Acht*, in æstimatione habeo, ut *Ambachtus* sit & collegium voluntarium, dignum cui obediatur; & is, qui in tale collegium cooptatur, sive ruri, sive in urbe, ita, ut illicitum sit cuiquam extra jus illarum sodalitatum exercere artificia, artesque mechanicas. Sic Iulius Cæsar: *Alterum inquit, genus in Gallis equitum hanc unam gratiam potentiamque novit, si quam plurimos circum se Ambactos clienteque habeat.* Porro terra quatuor Ambactorum triginta, ut dixi, pagos continens, tritici bonitate & candore, pascuorum ubertate, elicibus, appulsuque maris, Lacu, Saffi statione, & Abbatii Oostecloa & Dorisela, commendatur. Inter illos pagos est *Hontenessa*. Ambactus Hulsti quatuor Ambactorum primarius est. Oppidum Burggraviatu superbit, elicibusque vicini maris. Celebre est obsidione Archiducis Alberti, à quo expugnatum & Federatis Ordinibus ereptum est. Iactat natales Cornelii Ianssenii Theologiæ Doctoris Lovaniensis, & primi Gandavensis Episcopi. Distat Teneramunda quinque, Gandavo septem milliaribus. Metropolis est *Wafia*, regiuncula fertilissima.

Hulstium.

Axel.

Axella, in eadem provincia *Wafia*, unius quatuor Ambactorum, ut vocant, caput, uno & dimidio milliari Hulsta distat, quatuor aut paulo longius Gandavo. Oppidum est mediocre, quod superioribus seculis magnas vices sustinuit, ob Gandavensium vicinitatem; qui quum locum hunc ante nullis mœnibus clausum munivissent, urbs anno 1452 à Philippi Boni militibus, qui tum Gandavenses oppugnabant, capta, direpta & flammis deformata fuit, quia Gandavo clam commeatus & suppetias misisse accusabatur: sed postea incolarum & accolarum impensis fuit restituta, & utcunque mœnibus septa, ita ut magis adversus subitos incurfus, quam obsidionem hostilem tuta esset. Hanc Illustrissimus Araufionensium Princeps

Mauritius, cum Philippo Sidneio, adhuc pene adolescens, & necdum summæ præfecturæ in hisce provinciis, abdicato Leicestrio, admotus, (sed paulo post Hollandiæ Zelandiæque Præfectus factus) anno 1586 astu interceptit, 16 Iulii, milite per molem lapideam, quæ in fossa aquas sustinet & dirimit, in oppidum transcendente. Hispanus in ea quatuor omnino vexilla in præsidio collocaverat. major terror, quam cædes fuit; munimenta quoque, quæ in vicino locata erant, eodem impetu capta: & ut oppidi securitati consuleretur, vicini aggeres perfossi, & fluctus marini in campos longe lateque immissi. post illa urbs, Belgis tam opportuna, etiam vallis & propugnaculis permuniri cœpit; ut jam cuivis obsidioni tolerandæ par esse videretur. Superioribus annis aliquot arva, quæ Belgæ consulto merferant, rursus fluctibus ducto aggere erepta, annitente imprimis Peronio illius Præfecto; qui astus, quum urbs caperetur, inventor & actor fuerat.

Terneusium, haud vulgare municipium Flandriæ, quod jam olim Balivum suum, Scabinos & alios iustitiæ ministros habuit, ab Illustr. DD. Ordinibus confederati Belgii primum muniri cœpit, & præsidio adversus Hispanum instrui. natura ipsa & situ munitissimum est, quippe pene in medio terrarum situm, quas fluctus singulis duodecim horis opplent; unde accessus ad id difficillimus est.

Terneusium.

Rupelmunda itidem in *Wafia* est, nomen sumens à flumine *Rupela*, quod ex adverso in Scaldim aquas suas exonerat. Iacet ad lævam Scaldis ripam, ex opposito ostii *Rupelæ*. Arx est miræ antiquitatis, cujus crebra in Flandrorum annalibus mentio fit. Arci adjacet pulcher & sic satis amplus pagus, cui natales suos debet Gerardus Mercator, cosmographus celeberrimus.

Rupelmunda.

In hoc tractu est etiam propugnaculum illud vulgo dictum *t'Veer*, ad sinistram Scaldis oram. Pervium est, & liberum fluminis trajectum in urbem Antverpiam præstat. Causæ hujus munitionis ab Arebergio factæ, sunt hæc: Anno 1592, 18 Ian. locus hic *t'Veer* à milite quodam præsidario utriusque propugnaculi Lillo & Liefkenshoeck, occupatus, & milite intus resistente trucidato, omnibus, quæ huc è castello Antverpiano propter rebellem militem transportata fuerant, inter quæ arca margaritis plena, spoliatus fuit. Sequenti vero anno Batavus miles triremi impositus, noctu navem prætoriam, in Scaldi quiescentem prope *t'Veer*, invasit, prædamque inde avectam septem aliis juxta navibus divitem ad Zelandiæ oram exposuit. & plura similia.

Atqui hæc de ea Flandriæ parte actum, quæ Imperatoribus Sacri Imperii fidem jurare solebat. Continet autem hæc eadem tabella Flandriam Proprietariam, quæ soli Flandriæ Principi jurabat. Ad hanc pertinent *Teneramunda, Gbeersberga, Bornhemium.*

Flandria Proprietaria.

Tenera-